



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1773**

**VD18 90118677**

§. 18. Fera ab Henrico Galliarum Rege obsessa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

promoti sunt, a jurejurando intra femestrem se absolvi curent, ejusque loco sacramento fidelitatis erga patriam sese obstringant. Ex hoc edicto Albertus Archidux satis probe cognoverat, quod foederati ad arma capeffenda animum magis, quam unquam alias, proclivem foverent.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

## §. XVIII.

*Fera ab Henrico Galliarum Rege  
obseffa.*

Ergo Archiduci pugnandum erat contra duos hostes, Foederatos scilicet intra Belgium velut intestinum bellum parantes, & contra Henricum Galliarum Regem, qui jamjam ditionem Hispanicam infestans, ut Cameracensis Urbis a Philippo II. occupatæ jacturam compensaret, suadentibus Bironio, & Sanlucio Feram Picardiæ urbem obsidebat, tamque arcte cinctam tenebat, ut interclusa advehendi commeatus opportunitate infractam Præsidiariorum fortitudinem famis violentia superaret: verum Albertus ad iteratas Alvari Oforii Governatoris sollicitationes Georgio Bastæ Epirotæ magni nominis Belliduci tempestive negotium dabat, ut cum delectis decem Equitum turmis maximam, quam possset, tritici copiam urbi obseffæ inferret. Basta die unde-

Gallutius  
de bello Belgico l. 8.  
pag. 311.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

cima Martii Duaco Castelletum magno silentio contendit, ac inde noctis beneficio usus trajecto Somona fluvio longius progrediebatur, donec sancti Quintini oppido ad dexteram relicto postridie matutino tempore die decima tertia ejusdem Mensis Feræ urbi appropinquaret, Gallis, qua parte hostis accederet, ob caliginis densitatem ignorantibus: interea vero percepto, uti convenerat, signo Oforius cymbas ad id præparatas per Æsiam fluvium emit, in quas, quicquid frumenti per Equites allatum est, depositum intra urbem deportatur: Balta vero suscepto Guisiam versus itinere solertiam Gallorum, qui Sanguinitini viam obsidentes eidem reditum intercludere parabant, elusit, atque exiguo suorum dispendio Cameracum sese recepit.

## §. XIX.

*De Caletana obsidione actum.*

Thu. l. c.

Gallut. l. c.

Cum hujus annonæ subsidium ægre ad duos menses sufficeret, atque aliunde Henricus Rex auctis oppugnantium viribus, ac tentata, incassum licet, urbis inundatione obsessos morbo, ac fame ad extrema redactos cerneret, Albertus quamdam Gallicæ ditionis urbem oppugnare statuit, ut hac ratione vel Rex a Feræ obsidione averteretur, aut